


Parreidt

1743





10

67

DE
 JURISPRUDENTIA
 SINE
 LITERARUM HUMANIORUM
 COGNITIONE FERRE NULLA
 DISSERIT
 ET

P. 1

V I R O
 CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
 D O M I N O
 JOH. HENRICO
 PARREIDT

DELITIO-MISNICO S. S. THEOL. STUD.

FRATRI SUO CHARISSIMO
 SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

*Ha
6210*

D. XXI. FEBR. MDCCCXLIII.

LIPSIAE ACQUISITOS

GRATULATUR

CHRISTIANUS AUGUSTUS PARREIDT
 LL. CULTOR.



15.11.05.



JURISPRUDENTIA

PRIMA

ET PER ARTH. HUMANIORUM IN

CONSTITUTIONE PERE MORA

DISSERTATIO

ET

VIRI

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO

JOH. I. MARIANO

KÖNIGLICH
UNIVERS.
ZVINGLIER

PALATI

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE

PRAEF. SVO. CLARISSIMO

SUMMO IN PHILOSOPHIA HONORE

et in


LITTERIS ACQUISITIS

GRAT. SVO.

CHRISTIANUS AUGUSTUS BARRETT

EL. CURSUS





VIR CLARISSIME

Frater charissime!

Fucundum esse amicitiae vinculum, quotidiana nos docet experientia. Cicero hac de re in Dialogo de Amicitia cap. 6. ita scribit: *Qua quidem haud scio, an, excepta sapientia, quicquam melius homini sit a Diis immortalibus datum.* Multo tamen jucundior est fratrum concordia. Nominant S. Pandectae fratres, eos, qui mutuo & non fucato amore se invicem complectuntur, & saepissime similia ab iis sumunt. Dicitur quidem vulgo: Fratrum concordiam esse raram, sed illud proverbium solummodo loquitur de eo, quod propter perversos hominum animos ut plurimum fit, & regulam de fratrum concordia non tollit. Sane nostrum fraternum vere dulce est sodalitium, & ista conjunctio connexa est tanto amore, quem nihil nisi mors dirumpere valet. Ex hoc tanquam ex fonte fluit laetitia ista, qua Te summos in Philosophia honores adipiscentem conspicio. Jubet iste dies me TIBI de hac dignitate publice congratulari, ad quod peragendum *Furis prudentiam sine literarum humaniorum cognitione fere nullam pro themate elegi.*

A 2

§. I

§. I.

Quam maxime est necessarium in omni scientiarum genere studium literarum humaniorum. Nec Theologi nec Jure-Confulti, nec Medici iisdem plane carere possunt. Omnes artes, his demtis, nihil aliud sunt, quam corpus sine anima. His enim neglectis, negliguntur & omnes scientiæ, his vero summa cum diligentia excultis; & cæteræ disciplinæ majus indies capiunt incrementum. Historia literaria nobis asserere potest tristissima exempla. Hic est origo & incrementi & decrementi cujuscunque eruditionis. *Habent enim omnes artes, ut ait Cicero in Orat. pro Archia Cap. I., quæ ad humanitatem pertinent, quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur,* quod fusius demonstrat Jacobus Perizonius in Orat. de Ufu atque utilitate Græcæ Romanæque linguæ, eloquentiæ, historiæ, antiquitatis in gravioribus disciplinis. In quantum vero illud de omnibus gravioribus scientiis asseri possit, inquirere, nec temporis nec propositi ratio a me postulat. Videbimus solummodo, quod humaniores literæ cum Jurisprudencia arctissimo vinculo conjungendæ sint.

§. II.

Antequam vero ad materiam ipsam me convertam, quosdam indicabo Autores, qui de themate isto tractarunt, ut Laurentius Andreas Hambergerus in Commentatione: De Utilitate ex humanioribus literis in Jurisprudenciæ studio capienda, quod extat in Hambergeri Opusculis ad elegantiorum Jurisprudenciam pertinentibus ab Excellentissimo Dn. Johanne Georgio Estore editis. Carolus Christianus Schram, de Ufu & necessitate humaniorum literarum in Jurisprudencia. Ephraim Gerhardi, de necessariâ Jurisprudenciæ cum Philosophia & humaniori literatura conjunctione. Johannes Salomo Brunquell in dissert. prælim. de linguarum, philosophiæ, antiquitatum, & historiarum studio cum Jurisprudencia

prudencia jungendo historiae Juris Romano - Germanici praemissa
& alii.

§. III.

Est vero Jurisprudencia doctrina de Legibus, tanquam mediis, quae secundum Legislatoris fines tam generales, quam speciales, interpretandae, atque ad facta rite applicandae sunt, ut justitia externa in Republica promoveatur. Ejusmodi significatu Rabularum & Legulejorum Jurisprudencia plane removeatur. Sunt quidam, qui vel ignorantia decepti, vel malitia ducti, Jcto necessariam esse elegantiorum literarum peritiam, negant, his utentes argumentis: Legem esse normam a Superiore praescriptam inferiores ad obsequium obligantem, & exinde sufficere statuunt, si illae memoria comprehenderentur, ad quod plane non opus esset studiis humanioribus, quilibet enim civis, studiis haud deditus, sciret Leges, ad minimum scire deberet, cum Juris ignorantia cuique noceat sec. L. 9. ff. de jur. & fact. ignorant. Ad illud eo melius probandum, obrectatores isti experientiam allegant testem, in foris enim, ajunt, occurrere permultos, qui nihil plane aliud scirent, quam verba Legum, & sapissime ea ne quidem memoria tenerent, nihilo tamen minus aliis patrocinantur, sub quibus Legulejos & Rabulas intelligunt. Sed isti homines animo non concipiunt Jurisprudenciae circuitum. Ipse Imperator eos refutat in L. 2. §. 13. ff. de Orig. Jur. *Constare non potest jus, nisi sit aliquis Jurisperitus, per quem possit quotidie in melius produci, & in L. 17. de LL. scire Leges non est verba earum tenere, sed vim & potestatem.* Pertinet secundum definitionem ad Legum scientiam interpretatio & applicatio ad factum, quae sunt Jure-Consultorum. Sine interpretatione jus ad factum applicari non potest. Sequitur vero interpretatio finem Legis, & est actio Juris-Consulti, qui sententiam Legum ex fine illarum eruit. Finis vero est vel generalis, nempe Jus Naturae, seu naturalis aequitas, omnes enim Leges aequitatem pro fundamento agnoscunt sec. l. 90. ff. de R. J.,

VI 2

A 3

vel

vel specialis, ut circumstantiæ cujusque civitatis. Nihil in Jure nostro constituitur sine ratione sufficiente, & quamvis Julianus in L. 20. ff. de LL. asserat: quod non omnium, quæ a majoribus constituta sunt, ratio reddi possit, ideo tamen rationem Legum sufficientem non negat, sed solummodo dicit, illam non semper indicari posse. Recurrendum est in ratione Legum eruenda ad constitutionem Reipublicæ, loci, temporis, quæ ad sensum & æquitatem Legum demonstrandam multum conferunt. Interpretatio Jctorum est triplicis generis; si enim Lex est nimis obscura, interpretatio declaratoria nobis succurrit, qua ad Terminos artis antecedentia & consequentia, & Leges parallelas respicitur. Quia vero de omnibus Leges dari non possunt sec. L. 3. 4. 5. 6. 10. 12. ff. de LL., sequitur altera species, nempe extensiva sec. L. 12. & 13. ibid. ubi ratio vel eadem vel similis vel major requiritur. Denique Lex, quamvis generalis sit, tamen specialiter sumitur, ut in odiosis, e. g. pœnalibus, & quæ sunt contra jus commune sec. L. 14. & 15. ibid. inde tertia interpretationis species prodit, nempe restrictiva. Dantur Leges publicæ, privatæ, sacræ, quæ interpretari & applicare debemus. Ex iis itaque apparet, Jcti officium non solum esse, Jura memoria tenere, sed quoque eorum vim & efficaciam. Themidis sacra itaque nemo intrabit, nisi elegantioribus literis sit instructus. Quod ad Rabulas & Legulejos spectat, sane membra Reipublicæ, & Respublica ipsa sentit damnum, ex illorum quisquiliis ortum. Tales homines Romæ erant magno contemptui, & Rabulæ, Caussidici, & præcones nominabantur, qui nihil aliud agebant, quam ut lucro & prædæ inhiarent, rixasque & discordias fererent inter obvios. Martialis Libr. IV. 46. & Juvenalis Sat. VII. 106. seqq. & passim eos acerbè perstringunt. Humaniorum literarum ignari sententiam Legum nesciunt, ideoque jura miserrime explicant, & male ad facta applicant. vid. plura in Ziegleri Tract. de arte Rabulistica.

§. IV.

Ad literas humaniores, Icto necessarias, summo Jure referuntur Latinæ æque ac Græcæ linguæ scientia, Critices, Historiarum, Philosophiæ, & Antiquitatum studium. Dissertunt quidem alii de aliarum disciplinarum necessitate in Jure addiscendo, sed de his infra erit differendi locus.

§. V.

Accurata linguæ latinæ cognitio inseparabili cum Jurisprudentia nostra vinculo est conjuncta. Corpora Juris tam Civile quam Canonicum & Feudale latino idiomate sunt conscripta. Hæc sunt fontes Jurisprudentiæ nostræ in tota Germania recepti. Leges in Pandectis obvenientes ex veterum Jure - Consultorum libris sunt desumptæ: Illorum libri sunt Commentarii in Romanorum Jura, quæ ad nos pervenerunt, & per receptionem nos ad obsequium obligant deficientibus aliis Legibus posterioribus, quia vero isti libri temporum invidia nostram non attigerunt ætatem, Leges in Pandectis obvenientes solummodo sunt fragmenta illorum librorum. Illi ipsi fontes itaque sine hujus linguæ accurata scientia intelligi atque perlustrari nequeunt. Prodeunt in Corpore Juris fragmenta diversarum ætatum, quorum refero duodecim Tabulas, Edicta Prætorum & alia media, quibus Romani Jura in melius producere consueverant. Nitidissimam in iis esse latini sermonis elegantiam, testatur Laurentius Valla. Libr. III. Elegant: *hæc ipsa, ait, in unoquoque illorum ita sunt egregia & perfecta, ut vehementer dubites, his nihil addi adimive posse videatur tam eloquentiæ, quam latinitatis & elegantie, sine qua cæca omnis doctrina est & illiberalis, præsertim in Jure Civili.* Significationes verborum, quæ sæpissime in Jure nostro a conceptu vulgari aberrant, quod nobis demonstrat t. t. de Verb. significat. ad interpretandas Leges sunt addiscendæ. Agit Menagius in Amœnitat. Jur. Civ. Cap. 39. de Etymologiis Ictorum, & alii alibi. Ad historiam Juris Romani & Antiquitates addiscendas,

addiscendas, de quarum necessitate infra agemus, pervolutandi sunt veteres Autores, ut Livius, Dionysius Halicarnasseus, Cicero, & alii. Ex iis luculentissime apparet, linguæ latinæ scientiam ad Jurisprudentiam necessario requiri, sicco pede transeo illud argumentum, quod lingua latina sit eruditorum communis, confer Uberti Folietæ Librum de linguæ latinæ usu & præstantia. Certe ex illius linguæ negligentia & inscitia multa ortum trahunt vitia, Glossæ in Corpore Juris glossato iisdem sunt repletæ. Hambergerus in Comment. de Utilit. ex humanior. lit. in Jurisprud. stud. capiend. inter alia exempla producit illud de tutelæ definitione. Ea in §. 1. J. & L. 1. D. de tut. ita definitur. *Tutela est vis & potestas in capite libero* &c. In explicanda ista definitione inter se non conveniunt Doctores, Hambergerus vero §. IV. demonstrat, sub *vi & potestate* non latere diversi significatus verba, sed hoc ideo esse positum, quia Romani voluptati aurium aliquid tribuebant, & plura verba soni, non sensus causa immiscebant. Probat illud ipsum ex Autoribus, uti ex Terentio Heavtont. Act. IV. Sc. 2. v. 32. verb. *Qui vim tantam in me, & potestatem habeam astutiæ*, Verba vero *in capite libero* non ad tutorem, sed ad pupillum esse referenda, inde apparet, quoniam præpositio *in* sine discrimine cum accusandi vel cum auferendi casu jungitur testantibus doctissimis viris.

§. VI.

Novellæ plurimæ, si paucas excipias, græco idiomate sunt conscriptæ, quamvis vero eæ ab interpretibus quibusdam in linguam latinam sint transversæ, non tamen adhuc ita, ut plane obscuritate careant, ad eas itaque accuratius intelligendas Jcto necessaria est hujus linguæ notitia. Extant quoque in Corpore Juris fragmenta ex Interpretibus & Commentatoribus græcis desumpta, & Constitutiones ab Imperatoribus Orientalibus latæ, quæ cum versione reperiuntur in Corpore Juris Civilis a Simone van Leuwen edito, cujus versionis *Σφαλματα* quædam monstravit Ægidius Menagius in Amœnit. Jur. Civ. Cap. 33. ad quæ intelligenda accedere debet

debet linguæ græcæ peritus. Recurrimus quoque ad obscuritates legum enucleandas ad Basilicorum Libros a Leone Imperatore compilatos, in quos ille Volumina Juris Justiniani & Græcorum Imperatorum, qui post Justinianum vixerunt, Constitutiones retulit. Proferuntur quidem inter alios, qui græca lingua ignari fuerunt, Jctos, Accursius; glossa enim in §. 1. J. de emt. verbis *Verbis* addit *scilicet græcis, quæ legi non possunt*, ex quibus inferunt, Accursium græcæ linguæ peritiam non calluisse, sed merito eum defendit Excellentissimus Dn. Böhmerus in elegant. disputat. de Scripturis non legibilibus. Cap. 1. §. 3. Contradiciunt quidam asserentes, quod in praxi textus latine translatus sit receptus, ex quo facile apparere posset, nullam hujus linguæ superesse in Jure necessitatem, ad genuinum tamen Legum Romanarum intellectum plurimum confert, id quod & Carolus Antonius Fabrotus in Apologia pro Græcis luculentius demonstrat.

§. VII.

Critices studium necessario quoque addisci debet a Juris Cultore. Scribæ enim, nondum inventa typographia, in scribendis Codicibus quam maxima commiserunt vitia, & legum sensus mirifice everterunt. Inde plurimæ legum obscuritates & antinomix originem trahunt. Sigla, abbreviaturæ, & lex geminationis in Jure nostro sapissime occurrunt. Ut L. 3. ff. de nupt. legitur: *Si nepotem ex filio & neptem ex altero filio in potestate habeam, nuptias inter eos solo auctore contrahi posse Pomponius scribit & verum est.* In hac lege inter verba *solo auctore* est ponendum *avo*, quod secundum legem geminationis est omissum, & quod Gothofredus per voculam *Me* exprimere voluit. Ejusmodi exempla utramque fere Corporis juris nostri faciunt paginam, vid. de abbreviat. Salmuth, ad Guid. Panciroll. Memorabilia c. 2. t. 14. & Cypriani disput. de figlis. Vetuit quidem Imperator Justinianus in L. 2. §. 22. C. de vet. jur. enucl. ejusmodi per sigla & abbreviaturas scripturam, sed veterum Jctorum scripta, ex quibus Pandectæ, uti supra monstravi, coaluerunt, plena sunt

B

figlis

figlis & abbreviaturis, & Gerhardus Noodt in scriptis suis passim, præcipue vero in Probabilibus Juris satis erudite ostendit, quomodo leges exinde possint explicari. Nullis quoque usi sunt veteres distinctionibus, quarum intermissio tachygraphiæ debetur, id quod ex Marmoribus, Inscriptionibus, & Codicibus veteribus perspicui potest, imo in Codice Florentino nullæ reperiuntur, uti testatur, Angelus Politianus in suis Miscellaneis cap. 41. de harum ætate vid. Mabillon de reb. diplomat. L. I. c. II. §. 15. Posteaquam itaque illæ ad meliorem sensus explanationem sunt inventæ, sæpius per transpositionem literarum, & per commatum atque punctorum interpositionem diversus legum sensus est enatus, quæ exinde sibi invicem contradicunt, hæ vero post translocationem literarum, commatum & punctorum in meliorem possunt redigi statum. vid. de interpunct. Illustr. Petr. a Ludewig in vita Justiniani M. atque Theodoræ Cap. 5. §. 12. p. 102. seqq. Exemplum solummodo unicum adjiciam. Dicitur in Lege quadam: *Prætor ludo sedens etiam adiri potest*, si vero pro *ludo sedens*, *tudos edens*, legitur, alius adest significatus. Verba obsoleta in legibus nostris obveniunt, quæ interpretari Critici est officium. Ille enim interpretatur obscura, vitiosa emendat, aut genuina a falsis sejungit. Qualem vero Critices studium in Jure Civil. nobis offert utilitatem, talem quoque in Jure Canonico, Feudali, & Germanico offendimus. Ex his supra dictis apparet illius studii in Jure necessitas.

§. VIII.

Excedunt vero Critici sæpius in legum obscuritate tollenda. Nam plurimi nihil agunt, quam ut leges fecent, suoque fingant & resingant arbitrio, sive ut Excellent. Dn. Boehmeri verbis utar: *sæpissime literas legum torquent, corrigunt, mutant, ex cortice incassum fructus quærentes, & sic præter manum criticam, quæ alias utilitate sua non destituitur, ad leges nihil afferunt.* in præfat. prim. edit. Commentarii in Pandectas, quod fusius demonstravit in supra citata disput. de scriptur. non legibilibus. Cap. I. §. 6. & 7. & Cap. 2. Et illud quam maxime occurrit in Antinomiarum conciliatione.

Ubi

Ubi non conciliant, sed corrigunt leges; verba enim legum sine ratione tollunt, & alia præter necessitatem addunt. In Legibus passim continentur casus, ubi ob aliam rationem quædam lex a regula communi & alia lege recedit. Si tales Critici in istam legem incidunt, & casum non fingunt, legem statim pro contraria ventilant, & ad contrarietatem istam tollendam supradictis modis procedunt, ex quo, si pro lubitu verba legum mutare possemus, miserrimam Jurisprudentia nostra acciperet faciem. Hoc modo Hotomannus in scriptis suis & alii legum Antinomias & obscuritatem removerunt. Caveat itaque Critices studio deditus, ne in verbis obscurioribus explanandis omnem impendat operam, sed potius ad mentem legis respiciat. In hoc itaque studio media via est ambulandum, ne in devia abeamus. vid. Heineccii Præfat. Bynckershœkii Observat. Jur. Rom. edit. nov. adjectam de artis criticae utilitate in Jurisprudentia deque boni Critici officio. Reperitur illa quoque in Heineccii Opusculis minoribus, quæ Amstelodami 1738. in lucem prodierunt.

§. IX.

Sine historiarum cognitione nemo in quacunque scientia addiscenda felici successu progredi potest. *Est enim ea, ut ait Cicero de Orat. Lib. II. c. 9. testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis* & Plutarchus de Liberos Educatur. P. 2. c. 15. *Rerum gestarum recordatio ceu exemplar quoddam efficitur consilii boni de rebus futuris.* Certe Jcto historiarum cognitionem esse necessariam demonstrat Franciscus Balduinus de institutione historiarum & ejus cum Jurisprudentia conjunctione, ubi Libr. II. ita scribit: *Cum historia est conjungenda Jurisprudentia, quæ conjunctio ita est necessaria, quam unius corporis indivisæ partes aut membra divelli neque possunt neque debent, & alio loco: Nondum satis statuere potui, plusne juris historia ex Jurisprudentiæ libris an Jurisprudentia ex historicis monumentis accipiat, cum quo consentit Eisenhart in Schediasmate de conjungenda cum Jurisprudentia historia & alii; uti Schultingius & Barbeyracius. Historiam vero tam civilem, quam philosophicam, literariam, & juridicam huc refero.*

§. X.

In addiscendis Jurium historiis præcedere debet historiæ civilis cognitio, utpote quæ illis magnam accendit lucem. Si Glogographi, legem Hortensiam a Rege Hortensio quodam esse latam, asserunt, optimam nobis dederunt ridendi materiam, ut sexcenta alia taceam. Monstrarunt illorum errores historicos Albericus Gentilis de Jur. interpr. Dial. V. & Everhardus Otto in Papiniano. In Jure Publico, Feudali, Canonico, & Civili legum explicatio hinc & inde ab historia civili est petenda. Circumstantiæ, quæ ad interpretandas leges nos adjuvant, sine historia civili perspicui non possunt.

§. XI.

In nostrum censum quoque venit historia philosophica. Jcti veteres variis erant addicti sectis philosophicis, & exinde principia eorum per consequens fluxerunt. Præcipue vero Jus nostrum Stoicorum sapit philosophiam. Rationes legum ex inspectis illorum principiis apparent, quæ alias multa injusta statuere creduntur, quæ tamen in hypothesi erant æqua & justa. Hinc ex historia philosophica est addiscendum, cuius sectæ quis Jctorum & Legislatores se dederit, inprimis vero Stoicæ Philosophiæ fundamenta ex illa historia accurate sunt haurienda, de qua Excellent. Dn. Boehmerus in Progr. de Stoica veterum Jctorum philosophia agit.

§. XII.

De historia literaria nullum aliud proferam argumentum, quam ut autores & eorum libros cognoscamus. Ad evitandos enim studiorum circuitus, uti in quovis studio, ita & in Jurisprudencia opus est illorum cognitio. Si quis enim in libros incidit, qui nullius sunt pretii, magno quamvis studio & labore adhibito, nihil tamen addiscit, & ultimato nescit ea, quæ scitu sunt necessaria. Cum e contrario illi, qui ad optimos confugiunt libros, breviori tempore sapiunt, eruditionemque veram exinde hauriunt. Non sola vero historia literaria juridica, sed & earum scientiarum, quas secundum dicta Jctus callere debet, ut ex optimis libris, ea, quæ profunt, depromere queat, huc spectat.

§. XIII.

§. XIII.

Nulla vero modo separari potest historia jurium a Jurisprudentia, ad quam quotidie in dirimendis casibus recurrimus. Hac de re ait Christianus Henelius in Statua Mercuriali c. 10. p. 173. *Nullus illustris in Jure est titulus, qui non ab historia lucem aliquam accipiat.* Quo illustrior est ea materia, eo majus impenderunt studium Jure-Consulti in historiam juris explicandam, ita, ut recensio illorum, qui hanc historiam illustrent, totum postulet Tractatum. Attendi debet in interpretanda lege ad statum temporis legis latæ, antecedentia & consequentia, Inscriptiones Legum, cujus auctoris sunt, & ex quo libro sumtæ, illarum originem, causas, mutationes, fragmenta hinc inde obvia, horumque coassationem. Satis exinde elucet, Jctum sine historia juris esse monoculum. Leges posteriores derogant prioribus, sed quæ leges sint posteriores, quæ priores, sine historia juris scire non possumus, & ille itaque, qui hujus historiae ignorantia plane laborat, leges sibi non reddere potest cognitatas, quæ nos ad obsequium obligant, ipsas legum materias non intelligit, ut ex sexcentis aliis solummodo fictions, actiones & contractus adducam. Pari modo se res habet cum historia ecclesiastica, de qua agit Thomafius in Cautelis circa præcognita Jurisprudentiæ ecclesiasticæ c. 2., uti etiam cum historia Imperii, Juris Feudalis, & Germanici. Ambulamus enim in Jure, quasi in tenebris, nisi historiae lux accedat. Jura publica, ecclesiastica, feudalia, germanica pari modo ut Civile ex historicis monumentis illustrari debent. Videmus exinde Jurisperitum ne nomen quidem Jurisperiti mereri sine jurium historia.

§. XIV.

Philosophia Jurisprudentiæ succurrit in interpretatione & applicatione ad factum. In triplici enim, qua utuntur Jure-Consulti, interpretatione sine Philosophia procedi non rite potest. Quomodo vero jus ad factum hac deficiente applicari possit, plane non video. Ipsa Jurisprudentia nostra Philosophia innititur; Lex enim est ars æqui & boni, & æquitatem naturalem pro fundamento agnoscit. Hac tria sunt Juris præcepta: honeste vivere, alterum non lædere, suum,

fiuum cuique tribuere ex Philosophia morali desumpta. Vera a falsis sunt fecernenda, Jura quotidie in melius producenda sec. L. 2. §. 13. ff. de Orig. Jur. præjudicia sunt removenda, consilia veniunt danda, quæ Philosophia non leviter tinctum, sed scientia philosophica vere instructum requirunt Jctum. Exemplum sane luculentissimum monstrat de Philosophiæ in Jure necessitate, quod præjudicia in Sagarum Processu illius scientiæ adjumento sint in praxi remota, cum multi innocentes superioribus & eo ipso adhuc, quo vivimus, seculo, ignibus immolarentur. Talem nobis præstat in causis non solum decidendis, sed & defendendis, Philosophiæ cognitio.

§. XV.

Necessario quoque in nostrum censum venit antiquitatum studium, de quibus Barnabas Briffonius in epist. nuncup. ad Libr. I. Antiquit. Roman. his utitur verbis: *magnam desiderat omnino Juris prudentia rerum veterum memoriam, nec nisi ab eo, qui totius antiquitatis animo perceptam cognitionem habeat, digne ac meretur, explicari potest.* Differit quoque de hujus studii necessitate Thomafius in dissert. præmissa Sigonii Libris de Judic. P. R. de Ufu vario studii antiquitatum imprimis in studio Jurisprudentiæ, & Heineccius de Utilitate studii Antiquitatum in Jurisprudentia, quod opusculum Perizonii disputationum Triadi est præmissum, & reperitur in Heineccii Opusculis minoribus. Monstravit ille ipse Heineccius in Antiquitatibus suis, quomodo quivis Institutionum titulus ex illis lucem accipiat. In explananda Jurisprudentia attendi debet ad mores illorum populorum, quibus leges sunt datæ, ad constitutionem totius Reipublicæ, ad Legislatores ipsos, ad magistratus, ad sacros profanosque ritus, & alia civitatis instituta, ex isto fonte derivantur leges, quæ omnia sine antiquitatum studio non addisci possunt. Materiæ fervorum, judiciorum, nuptiarum, de mortuo inferendo & aliæ infinitæ ex Antiquitatibus demonstrari debent. Ratio enim legis est investiganda, ut scire possimus, an lex quoque ad nostrum statum applicari possit. Ex antiquitatum ignorantia sine dubio provenit, quod tres ultimi Codicis libri glossis non sint illustrati, quia illarum autores hujus studii plane erant ignari. Sane Augusti nomen non ab *Augere* deriva-

derivaretur, si Antiquitates curæ fuissent, ut testatur Ovid. Fast. I.
v. 609.

Sancta vocant augusta Patres; augusta vocantur
Templa, Sacerdotum rite dicata manu.

§. XVI.

Hæ sunt istæ scientiæ, sine quarum cognitione Jurisprudentia
nostra fere nulla est. Nimum vero in omnibus hisce studiis est vi-
tandum. Monstravi jam supra §. 8., quod Jcti nimio Critices amore
ducti, Jurisprudentiæ nihil prodesse, id quoque de supra dictis ar-
tibus jure meritoque asseri potest. Ad quamlibet harum artium ex
asse addiscendam sane unicum non sufficit lustrum, sed majorem no-
stræ vitæ absorbet partem. Et toto apparet die, quod Jcti propter
nimum cujusdam studii amorem inutilia tractent, Logomachias ex-
citant, & desana caprina summo cum fervore disputent. Ea solum-
modo Juris Studio ex illis disciplinis sunt depromenda, quæ in
Jurisprudentia utilitatem & necessitatem qualemcunque exhibent.

§. XVII.

Antequam vero hanc relinquo materiam, paucissimis aliquid
de graviorum disciplinarum & aliarum in Jure utilitate aliquid disse-
ram. Huc referunt Theologiam, Medicinam, Linguas Orientales,
Mathesin, Poesin, Oeconomiam, Musicam & alias. Hoc verum quidem
est, quosdam voluptatis & utilitatis propriæ gratia in quibusdam ha-
rum disciplinarum profectus fecisse quam maximos. Adfunt in histo-
ria literaria exempla Jctorum, qui in aliis scientiis multa præstiterunt.
Natura enim quosdam ita comparavit, ut quasi in transitu ea omnia, quæ
ipsis obveniunt, apprehendere possint. Illud quoque negare non au-
deo, quod in vita communi omnium, quæ addisci possunt, scientiarum
cognitio magnam secum ferat utilitatem, & Jctus his præditus in
magno sit pretio. Est vero Polymathias studium maxime periculo-
sum, dum plurimi ex omnibus aliquid, in toto autem nihil sciunt.
Unius scientiæ ambitus hodie tam late patet, ut unius hominis vita
vix sufficiat, ad illam plene addiscendam. Adfunt in historia literaria
Jcti magni nominis, qui, nisi se in omnia immiscuerint, majorem ac-
quisiverint laudem, & Jurisprudentiæ melius consuluerint. Adest
quidem inter disciplinas fororius quasi nexus, sed exinde nondum
fluit,

VD
18

fluit, quod ille, qui eruditi nomen profiteri velit, in hisce omnibus quoque ver-
fari debeat, ea solummodo sunt addiscenda, quæ necessarium in scientia appre-
hendenda habent influxum. Longe alia itaque est quæstio, an nominatæ scientiæ
in Jure præstent utilitatem & talem, ut ad eas addiscendas necessario JCTus ad-
hibere debeat operam. In Theologiæ cum Jurisprudentiâ conjunctione demon-
stranda non satis clare distingunt Theologum & Christianum. Arti-
culos fidei scire, rationem de credendis reddere, pie vivere, non sunt Theolo-
gorum propria, sed omnibus, qui salutem æternam pro fine habent, conve-
nientia. Justitia non innititur Theologia, sed æquitate naturali, Jurispruden-
tia solummodo versatur circa justitiam externam, Theologia vero circa justi-
tiam internam. JCTus salutem Reipublicæ pro objecto habet, salutem vero
animarum Theologo relinquit. In Jure Ecclesiastico probe quoque sunt se-
cernenda JCTorum & Theologorum officia; de jure enim & de articulis fidei
respondere, diversa sunt, quorum primum JCTo alterum Theologo commit-
titur. Hinc in Consistoriis tam Theologi, quam JCTi, assident, & si controver-
sia est ratione fidei, Theologorum responsum est perendum; nam ejusmodi
controversiarum decisio non spectat ad JCTos. Ex iis satis apparet, quantum
Theologia & Jurisprudencia inter se differant, & quod parum profit in Jure
addiscendo Theologia, excepto forsan studio, quod Theologi vocant, rhetoricò,
quod tamen omnibus christiana religioni addictis convenit. Studii Medici in
Jure utilitas etiam non tanta est, ut ideo JCTus in illud studium incumbere
debeat. Verum est, in causis matrimonialibus & criminalibus haud infre-
quenter in foro obvenientibus, judicandis & decidendis JCTis principia
succurrere; hoc quoque verum est, quod in inspectionibus hominum occiso-
rum Judex necessario adhiberi debeat, sed in ultimo casu semper Medicus in
arte sua examinatus & juratus Judici est adjungendus, & Judici, quamvis aliud
testeretur, in hoc passu non creditur. Quod ad primum attinet argumentum,
ipsa JCTorum responsa satis clare demonstrant, in his controverfiis Medicorum
esse adhibendum consilium. Sane absurdum esset, statuere, quod, quia circa ar-
tes illiberales, & omnia fere, quæ existunt, causæ controverfæ JCTis decidendæ
traduntur, ille ideo eas sibi reddere debeat cognitæ, & illas addiscere necessum
habeat. Pari modo se res habet cum Mathesi. De reliquis plane nihil profe-
ram, quia illæ in Jure ne minimam quidem habent utilitatem.

Nunc ad TE iterum revertor *VIR CLARISSIME*; *Frater charissime*.
Gratulor TIBI de hac laurea post indefessum studium consensu *Ordinis*
Philosophici dignissime TIBI collata. Conserver TE *Deus Optimus Maximus*,
incolumem sospitemque, ut post sementem optime factam *Summo rerum*
gubernatori & Reipublicæ fructus reddere valeas. Omnia, quæ proferre possem,
vota, in unum redigam, nempe, ut omnia TIBI ex voto prospere
succeedant. Vale.

Fla 6210

ver-
pre-
ntia
s ad-
e de-
Arri-
colo-
nve-
den.
ufti-
vero
r fe-
fidei
mit-
ver-
nodi
tum
Iure
cico,
ei in
bere
fre-
ipia
cifo-
s in
liud
um,
um
ar-
gda
um
ofe-

me.
inis
aus,
um
em,

ULB Halle 3
007 679 041






DE
JURISPRUDENTIA
SINE
LITERARUM HUMANIORUM
COGNITIONE FERE NULLA
DISSERIT

ET
VIRO
CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO
JOH. HENRICO
PARREIDT

DELITIO-MISNICO S. S. THEOL. STUD.
FRATRI SUO CHARISSIMO
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

D. XXI. FEBR. MDCCCXLIII.

LIPSIÆ ACQUISITOS

GRATULATUR

CHRISTIANUS AUGUSTUS PARREIDT
LL. CULTOR.



11.05.

